

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 50. (*Neovidensis* Nro 73.)

---

*Saturni tertius haeres indulsit, ut sequens  
Colloquium politicum apud Stygyos ha-  
bitum ad Semi-Deos Panoniae deferatur.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 21. Sept. 1804. (*Neov.* 7. Sept.)

---

Quid enim salvis infamia nummis.

*Juv. sat. 1.*

## Dialogus

*Nautam inter, & Veredarium.*

*Nauta.*

**O**rnatissime Affinis, equitando tandem tibi  
mortem accelerasti?

*Veredarius.* Iste est omnium nostrum fi-  
nis; Hoc in mundo nullam sapit novitatem.  
Sed dicito mihi, quo pacto es ad has ter-  
ras delatus?

*Nauta.* Per aquam, ventus mihi fuit  
secundus: Quam quis novit artem, in illa  
se exercet.

*Veredarius.* Nunc intelligo, te tantum e  
numero nautarum esse. Nonne acu rem te-  
tigi?

*Nauta.* Quid? tantum nautam me esse dicis? ergo tibi status nauticus ita vilis videtur, ut illud *tantum* cum quodam mei despectu adjeceris? Forte putas veredarium plus esse nauta?

*Veredarius.* Hoc equidem ego pro certo, & explorato habeo. Veredarius est præcipua in omni civitate Persona.

*Nauta.* Proh Deum, hominumque fidem! Hoc ego in mundo superiore degens ignoravi, neque unquam meus Ludimagister hac de re mentionem fecit; In ea fui semper opinione, Veredarium a nauta longissimo post se relinqui intervallo.

*Veredarius.* O pinguis Minervæ homuncionem! Non didicisti longo usu, Magnos Dominos, & Principes circumdari viris, quibus se totos concredunt, a quibus secreta accipiunt consilia, quos in partem regiminis vocant?

*Nauta.* Nimum sæpe observavi; at hi sunt intimi status Consilarii, quos inter, & te nulla potest esse comparatio.

*Veredarius.* Nunc attentas præbe loquenti aures: Hi magni Domini, & Principes sæpe scribunt longas, sæpe breves epistolas; Qui autem a consiliis eorum sunt, jam prolixa, jam concisa expediunt ad Provincias mandata; Jam quid putas, cui committuntur perferendæ hæ occultæ, & non occultæ res?

*Nauta.* In promptu responsio: Traduntur vel auntiis, vel cursus publici tabellariis.

*Veredarius.* Et quis vehit has omnes cursui publico creditas arcanas litteras, & mandata?

*Nauta.* Utique veredarius.

*Veredarius.* Ergo (*consequentia in forma*) Magni Domini sua intima, sua negotia status, sua jussa committunt veredario. Ergo veredarius est præcipua in civitate persona, quod erat demonstrandum. Nondum satis: Mercatores transmittunt multa millia syngrapharum, Assignationum, & aliarum similibus pecuniam repræsentantium litterarum, omnia sua negotia, designationes, & curas commendant cursui publico, unde ad veredarium devolvuntur; Veredarius ergo est, cujus fides in universo commercio inde ab urbe cis Gangem omnium maxima Aspahano usque Amstelodamum celebratissima. Progrediamur ultra: Amore capti, sed locorum intervallo sejuncti non possunt secus sua sensa explicare, quam datis, acceptisque litteris. In his effundunt suam teneritudinem, adhibent exquisita ad persuadendum verba, faciunt plenas amoris declarationes, verbo: Amorem undique flammis correptum depingunt. Sæpius jam ex tali cupidinis incendio vidi trans peram cursus publici non insuavem erumpere fumum. Jam cujus curæ demandantur hæc jucundissima duorum animorum negotia? Veredarii: Hac de causa merito ille dicendus est Mercurius amorum. Suis ergo pondera momentis meam magnitudinem, ac præstantiam, & obstupesce.

*Nauta.* Profecto nunquam fuissem mente assecutus, Veredarium agere tam excellentem in orbe terrarum personam. Verum Domine Veredarie! pace tua liceat mihi unicam tantummodo ponere quæstionem: Quis hunc tam præstantem, tam eximium bajulat veredarium, dum transportandis magnis status arcanis, gravibus quæstorum negotiis, & teneris se amantium significationibus præest? Nonne equus, qui veredus audit, unde derivatur veredarius?

*Veredarius.* Res hæc nota est, atque apud omnes pervulgata.

*Nauta.* Ergo infero, honorificentiorum esse in civitate personam veredi, quam veredarii.

*Veredarius.* Apage cum tua fallaci conclusiuncula; Equus est animal ratione carens, quod a Veredario regi debet. Nulla itaque sunt ejus merita in hoc tam præcellenti munere.

*Nauta.* Mihi tamen videtur, magn. —

*Veredarius.* Hem! quid scit navita de rebus publicis: Navita de ventis. —

*Nauta.* Perillustris Domine Veredarie! contemtim haberi non feram, non patiar, scisne, quid hominis sit nauta?

*Veredarius.* Nauta est auriga, qui varias res, & merces devehit per aquas.

*Nauta.* Recte dicis, Veredariorum maxime! At, cum jam e pluribus annis audiam diversos misceri sermones de bello maritimo, nemoque mihi hætenus genuinam ejus

causam exposuerit, fac, ut ex te, qui omnia arcana ultro, citroque defers, resciam, qua ex ratione Gallia, & Anglia se invicem bello lacessant.

*Veredarius* Obesæ naris homo! Hoc non assequeris? geritur bellum propter *Nauridiam*; Nonne obscurum est tibi hoc verbum? Subsiste tantisper, dabo ejus explanationem; geritur bellum propter navigationem.

*Nauta*. Valde bene, hoc est, quod volebam scire; Ad arma illæ duæ gentes descenderunt propter navigationem, ergo armis dimicatur propter nautas. Ex hoc collige, quanti momenti sint nautæ, ob quos bellum ex bello seritur.

*Veredarius*. Deinde autem veredarii circumferunt nova, de præliis maritimis, de relatis victoriis, & celebratis triumphis.

*Nauta* Nequaquam intelligis, quid velim; Planam, & perspicuam tibi faciam Nautarum præstantiam. Orbis iste unam tertiam continet terræ firmæ, in qua veredarii equitant, & duas tertias aquæ, quam celeri carina nautæ metiuntur: Itaque ita se habet amplitudo veredariorum ad nautas, sicut unum ad duo; Hinc nautæ longe majori numero sunt, quam veredarii ita, ut si inter eos bellum oriretur, veredarii deberent secundum jus fortioris succumbere. Parum adhuc dixi; Nautæ adferant merces ex remotissimis mundi partibus, sunt viri fortes, & magni Heroes, illi etenim, ut notum est, instructa in mari acie configunt, quod de veredariis nunquam hæcenus auditum fuit.

*Veredarius.* Garris, quidquid in buccam venit, ais nautas ad pugnam procedere? Qui bella gerunt, Præfeti classium sunt, & militiæ navalis Imperatores.

*Nauta.* Tu omnino res nauticas vix a limine salutasti. Præfeti classium, & navales Duces reapse nil aliud sunt, quam illustres, & ad supremum nauticæ dignitatis gradum promoti nautæ. Si mihi sorte obvenisset, ut in Anglia nascerer, forte jam ad primum Belliducis navalis subsellium fuisset eluctatus. Tali prærogativa non gaudet veredarius; Ille summum potest fieri primus inter aurigas famulus.

*Veredarius.* Atque ista ex immemore beneficiorum animo proficiscuntur.

*Nauta.* Brevi clarius adhuc perspicies eminentiam nautarum præ veredariis, si tibi beneficia, & mutationes navigationis exposuero. Omne commercium illi innititur; Novæ locorum positiones, novas indigitant mercimonio vias, ad novos impellunt conatus. Odessa, dilecte amice! Odessa in peninsula Crimeæ, quam veteres Chersonesum Tauricam dixerunt, in Hellesponto attolit caput, aperitque portus novæ navigationi inservituros. Odessa sunt novæ Indiæ orientales, novum promontorium bonæ spei; Odessa, si negotiationem per fluvium Vistulam institutam notabiliter non imminuerit, certe nimium quantum dividet. Ex eo enim, quod Turcia potestatem dederit Gallis, Anglis, Austriacis, & Russis Mare nigrum libere ingrediendi, atque commercium exercendi, producta

polonica, qualia sunt: frumentum, canabis, lignum, cera, mel, & caro, loco ejus, ut Dantiscum defluant, per Borysthenem, & Bogum promovebuntur Odessam. Hæc communicatio rerum multo facilior est, & commodior, atque illa, quæ per mare Balticum instituitur. Illa enim potest æstate, & hieme continuari, hæc nonnisi summum sex mensibus durat. Provincia, uti est Ucraina, in qua pulcherrime provenit triticum, & secale, quæ copia pecorum, aliorumque productorum longe superat reliquam Poloniam, quæ hætenus tantum in Vistula suas merces efferebat, per Odessam suum commercium latissime propagabit. Negotiatio, quæ alias magni momenti fuit in mari Baltico, in alium locum deducetur. Angli suas merces ingenti cum lucro transportabunt Odessam, oneraturi ibidem naves nobilissimis Russiæ productis, quæ hætenus tantum in mari Baltico poterant haberi. Profecto immortales gratiæ habendæ sunt a Russis Josepho II. Imperatori, qui adjumento iis fuit, ut Regnum Mithridatarum, pro quo Venetæ, & Genuenses 30 annis decertarunt, suæ subjicerent dominationi. In Crimea est Turcis insanabilis Cancris politici morbus insitus, & quidem adeo periculosus, ut eidem nulli alii Medici possint mederi, nisi, qui eum inocularunt, Russi. Festinantissime Veredarie! patiari fieri hic loci hanc a me animadversionem: Navigatio, & Nautæ plus utilitatis præstant humano generi, quam veredarii.

*Veredarius.* Sed quis occupatur deferen-

dis litteris, quæ hanc novam rerum communicationem non conservant modo, verum etiam augent? Quis huc, atque illuc cursitat cum assignationibus, quibus merces ex portu Odessano advehendæ constiuntur? Nonne hæc omnia peraguntur quam accuratissime a Veredariis?

*Nauta.* Homo longe ventosissime; quid inanibus gaudes pompis? Esto contentus posse te per continentem jam lente, jam festinantius evagari. Res omnino pulchra est, fovere commercium litterarum ope cursus publici, præsertim levissimi pretii, quam laudem sibi jure optimo vindicat cursus publicus imperii Germanici. Nihil est etiam hoc consilio commodis hominum aptius, hic enim cursus publicus mediterraneum tenet Europæ, per quod quaqua versum fit communicatio, atque res illi conceditæ ea cum securitate, & accurate administratione, ut cuique liceat in utramque aurem dormire. Prærogativa tamen navigationis, & nautarum salva manet in Oceano; Quod si commercium Odessanum cum tempore majora ceperit incrementa, cursus publici in imperio Germanico constituti veredarii pluribus onerabuntur epistolis, quas in omnes partes circumferant. Illi autem, qui huic muneri cum imperio præest, & suos administratos inde a primo cursus publici magistro usque ad infimum veredarium liberaliter habet, summam adferet utilitatem, ut eo magis possit suam singularem, toti familiæ innatam beneficentiam effundere.

*Veredarius.* Amicissime nautarum! Victas domus, tibi ante veredarios debetur omnis præcellentia.